ORATIO

PRO APERIENDIS INITIANDISVE
TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM
GENERALIBUS COMITIIS,

HABITA

AD PP. IN REGALI CONVENTU VALENTIAE
die 15. Maji 1768.

A R. Adm. P. EMMANUELE A COENACULO,
Lectore Jub. Luſitanae Provinciae Tertii Ordinis
Miniſtro Provinciali, & totius Ordinis
Generali Diffinitore.



VALENTIAE:

In Typographia Benedicti Monfort, anno 1768.

Digitized by the Internet Archive
in 2023 with funding from
University of Toronto

https://archive.org/details/oratioproaperien00coen

JUDICIUM DOCT. SEBASTIANI Sales, in Academia Valentina Sacrae Theologiae Profeſſoris, & in Metropolitana Eccleſia Praepoſiti.

SUmma animi voluptate legi Orationem iſtam, quam 15. Maji anni 1768. habuit in Coenobio Sancti Franciſci Valentiae ad Patres Franciſcani Sodalitii ad Comitia Generalia vocatos, A. R. P. Emmanuel a Coenaculo, Luſitanae Familiae, Tertii Ordinis Provincialis, & totius Ordinis Diffinitor Generalis. Eam; quia diſſertiſsimam; quia eloquentiſsimam; quia putiſſimam deprehendi, praelo dignam cenſeo. Nihil in ea inveni a veritate alienum, plurima, imo omnia quae legantur digna, nihil demum Fidei, probiſque moribus contrarium. Ideo Opus cum Authore, nedum commendo, ſed admiror. Valentiae 21. Junii anni 1768.

Dr. & Praepoſitus Sebaſtianus Sales.

Jhs. Imprimatur,
D. Miranda, Vic. Gen.

Imprimaſe,
Caro.

CENSURA R. Adm. P. JOANNIS BAPTISTAE Servera, Lectoris Theologi, in hac Provincia S. Joannis Baptiſtae Strictioris Obſervantiae Minorum Diſcalceatorum Ex-Miniſt. Provinc. & totius Ordinis S. P. N. Franciſci Ex-Diffinitoris Gener.

DE MANDATO

Rmi. P. N. ANTONII ABIAN, DOCT. Theologi, Lectoris Jubilati, Ex-Procuratoris Generalis Ordinis, & totius Ciſmontanae Familiae Commiſſarii Generalis, &c.

RME. PATER

HAnc pulcherrimam, elegantiſsimamque Orationem poſtquam jam Oratore dicente, maxima voluptate audivi, benigno juſſu P. V. Rmae. oculatiſsime modo multoties perlegi. Et ne dum nihil in ea quod Sacroſanctae noſtrae Fidei dogmatibus, Sanctorum Patrum ſententiis, Decretiſque cum Pontificiis, tum Regalibus, non ſit conſonum inveni; ſed vehementer ſtupui, eo quod Orator noſter in tali temporis anguſtia, ut nec rem concipere valeret, talem, tamque auguſtam, praeclaram, omnibuſque numeris abſolutam Orationem confecerit, & prodierit. Hora etenim noctis circiter undecima monitus fuit Rmus. noſter Generalis Praeſul de impedito in itinere Religioſo illo Viro, ad munus hoc die ſe-

quen-

quenti inter Miſſarum ſolemnia exequendum, deſtinato. Nox vero illa fuiſſet, & noſtratibus, & maxime Generali noſtro Praeſuli, non tam tenebris oppreſa, quam anxietatibus refecta (cum perdifficile videretur, ut in graviſsimo illo, & ſi tot doctiſsimorum Virorum conſeſſu, quiſpiam inveniretur, qui breviſsimo ſpatio coram ampliſſimo, formidandoque eorum conſpectu dicere auderet,) niſi inter tot, tantoſque viros adeſſet R. Adm. P. Emmanuel a Coenaculo Luſitanus, qui ea, qua polet in omni diſciplinarum genere eruditione, & maxima in dicendo facilitate, nobis eluxiſſet, diemque omnibus ſerenum redderet. Siquidem hac ſua Oratione undecim horarum ſpatio confecta, veluti repentino lumine nobis orto, a caligine communis anxietatis, & moeſtitiae nos laetanter eripuit, & omnibus clariſsimis, ſapientiſsimiſque audientibus viris, qui de hoc teſtimonium perhibent, diem laetiſsimum dedit.

Quapropter, & pro Ordinis noſtri maximo decore, & pro Sapientum delectu, & pro Studioſorum juvamine, omniumque communi utilitate, hanc Orationem dignam cenſeo praelo dandam. *Salvo, &c.* Hoc in Conventu S. Joannis Baptiſtae a Ripa Valentiae die 26. Maji 1768.

Fr. Joannes Baptiſta Servera.

LI-

LICENTIA ORDINIS

Fr. ANTONIUS ABIAN, DOCTOR Theologus, Lector Jubilatus, Provinciae Aragoniae Pater, Ex-Procurator Generalis Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci, in hac Ciſmontana Familia Commiſſarius Generalis, & Servus.

CUm Orationem pro ſolemni Comitiorum Generalium celebratione in hoc Regali Valentino Coenobio S. P. N. Franciſci elaboratam à R. A. P. Fr. Emmanuele a Coenaculo, Lectore Jubilato, Miniſtro Provinciali Provinciae Tertii Ordinis in Luſitania, & Definitore Generali reelectam, approbatamque fuerit, ut Typis mandari poſsit, à Theologo noſtri Ordinis; tenore praeſentium eidem debitam facultatem impartimur, quatenus ſervatis omnibus de jure ſervandis, Typis mandari poſsit. Dat. in eodem noſtro Regali Valentino Conventu S.P.N. Franciſci die 27. menſis Maji anni 1768.

Fr. Antonius Abian, Commiſ. Gener.

D. M. Rmi. in Chriſto Patris.
Fr. Didacus Garcia a Botija,
Pro-Secret. Gen. Ordinis.

ET

ET VOS TESTIMONIUM perhibebitis,quia ab initio mecum eſtis. Joann. cap. 15.

SI quis unquam, Reverendiſſimi Patres, Ornatiſsimi Viri, in ſemetipſo expertus eſt, & aliis teſtimonium perhibuit de collato opportune auxilio a Deo Providentiſsimo homini plane rudi, & in anguſtiis verſato, eum eſſe me ſinceriſsime profiteor, & Vos perquam facillime conjicietis. Convocato celeberrimo hoc Conventu pronuntiandum erat hodierno die de cauſa, rationeque congregandorum tot hominum, pro ſalute Redempti Orbis per ipſum, qua late patet, diſperſorum. Diſſerendum item erat de laudabili eorum vita, profeſsione, & Inſtituto diffuſo, ac dilatato per Chriſtianorum Provincias; per Barbararum, atque adeo Servatoris jugo minime ſubjectarum gentium, Regiones. Si quid demum ad hoc negotium conficiendum peti poſſet ex Divino Evangelii Textu, hac in ſolem-

lem-

lemnitate fidelibus expoſito, id tam gravi auctoritate confirmaretur. Sed, o rerum humanarum inconſtantiam, & viciſsitudinem! O noctem, quae Patribus moerorem, novamque mihi addidit afflictionem! Paucis abhinc horis accedente nuntio de impedito in itinere graviſsima infirmitate ſapienti, & religioſo Viro, ad id muneris electo, de ſucceſſore deliberandum fuit. Cecidit in me ſors, quantumcumque mea me tenuitas redderet invitum, perpenſa rei graviſsimae magnitudine, & ante oculos obverſato Virorum Sapientiſsimorum, qui adſunt, conſeſſu, quibuſcum nullo modo conferendus ſim. Sed quos Viros commemoro! quem Coetum! qualemque Hominum congreſſum! Dicturus accedo, non dicam modo coram Franciſcanae Gentis Proceribus, coram hujus Ordinis Doctiſsimis Viris, in frequentia tantorum Patrum, ſed in Urbe etiam Valentia, quae Regno praeeſt politiſsimo, & Virorum graviſsimorum feraci, quorum ego recordatione ſumopere recreor, & intuitu erubeſco; quoſque omni eruditionis genere excultos nemo eſt in Orbe erudito, qui ignoret, atque non revereatur: & ego maxime, memor conſuetudinis eorum abhinc duobus ſeculis cum Luſitanorum Sapientibus, quos idcirco, aliis autem de cauſis, ſecreto quodam ſtimulo ſuaviſsime percitus, omni,

qua

qua homo poteſt, dilectione proſequor. Hac ego conſideratione defixus, timui vehementer ita dicere,& graviſsime perturbor. Impulit vero me,quam erga Reverendiſsimum, ac ſuaviſsimum Praeſulem profiteor, humilis ſubjectio. Agendum vero eſt: & Chriſti verba pro dicenda cauſa hujuſmodi praemittenda ſunt. *Vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Quae ſi longo verborum ambitu exponenda eſſent, tempus me deficeret. Id tamen Servator noſter aſſeruit, quod nulla caligine obvolutum, ſed clariſsima in luce poſitum, unuſquiſque poterit apto ſenſu interpretari. Directus ad Apoſtolos Chriſti Sermo eſt. De futuro ipſorum ſtatu Chriſtus diſſerit. Quaenam, qualiaque officia mundo Apoſtoli praeſtituri erant, recenſet. Eorum curas: quorſumve dirigendae forent hac una ſententia Chriſtus deſinit: *Ft vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Tanti promiſsi cauſa haec una erat: *Quia ab initio mecum eſtis.* Id quidem eſt. Perſeveraverant Apoſtoli in doctrina, ab eiſdem accepta, docente Chriſto. Perſeveraverat in iis, & acris contentio in perdiſcenda doctrina Magiſtri; & *Aemulatores factos Legis* de ea promovenda nuſquam non fuiſſe ſollicitos legimus. Cum igitur Chriſtus in Coelum aſcendiſſet, quandocumque pro grege ipſis Apoſtolis commiſſo, pro Religione, pro Fide, pro Eccleſia, pro integritate morum, proque eorum omnium conſervatione, quae

ad ſalutem Populorum maxime conducebant, quidpiam decernendum erat; in Decretis hujuſmodi relucere teſtimonia de Chriſto, nemo non videt. Refricate memoria, PP. grav., Conventus illos Jeroſolymis celebratos. Quid, quaeſo, in illis obſervatis? Tacite vobiſcum ita cogitare puto: quotieſcumque ab illis Coetibus recedebant Apoſtoli, teſtimonium eos perhibuiſſe de Chriſto & verbo, & operatione, divina fide certiſsimum eſt. Ergo quaſi abrupte dicam per omnia. Apoſtolici Homines, qui vitam profitentur inſtitutam a Seraphico, ut ob ejus in Chriſtum amorem dicunt, Parente: quique praeſenti hoc Coetu congregati ſunt, quia Evangelio, & Majorum Inſtituto ſemper addicti; quia diu eſt quod teſtimonium perhibent de Chriſto, Sancti Spiritus igne calefacti illuſtrabuntur. Inde recedent teſtimonium perhibituri, & de laudabili eorum in Chriſto converſatione, & de forma vivendi vere chriſtiana. Haec ut faciant, impenſe curant de eligendo imprimis, & aſſumendo Superiore optimo, probatiſsimoque ad eorum exemplum, & directionem. Id tamen ut declarem, & exorter, divinam gratiam imploremus, invocato Puriſsimae Virginis patrocinio, Salutationem Angelicam dicentes. AVE MARIA.

QUid ego nunc primum oratione perſequar, aut commemorabo, Aud. Grav.? Si quid

tu-

tumultuaria cogitatione diſpoſitum mihi homini imparato, & extemporali occurrerit, facile dabitis hanc veniam, ut ea dicam, quae ſin minus bene ordinata fuerint, dignaque ſapientia veſtra, non tamen indecenter prolata, neque prorſus abſtruſa ſint. Inſiſtamus parumper in perquirendis ſollerter conſiliis, quibus animantur quicumque ad hunc Coetum celebraddum acceſſére. Numquid ea non apertiſsime demonſtrant peractum Conventum eſſe ad praeficiendum Ordini univerſo Virum, qui ſit, *Forma gregis factus ex animo*: *Qui ſit tanquam Aaron vocatus a Deo*: Quique pro gloria totius Ordinis promovenda labori nullo parcat. Nonne vero teſtimonium haec perhibent de vita Chriſto conformata? Sed verbo: quaecumque modo noſtrates cogitant ad teſtimonia de Chriſto paranda apprime conducunt. Haec nempe: de conſtituendo Praeſule integerrimo: Praeſule, inquam, qui veram pietatem foveat, Eccleſiae pulchritudinem ad majorem felicitatem provehat: pacem conciliet: & malorum audaciam reprimere ſatagat. De aſſumendo igitur Praeſule pertractatur, qui de ipſius Praedeceſſore imitando magna cum ſollicitudine cogitet. O qualem Virum ſibi proponet imitandum! Sapientiſsimum, prudentiſsimumque ſumma maximarum rerum experientia probatum, amabiliſsimum, & Reverendiſsimum P. Miniſtrum Generalem Petrum Joannetium de Molina. Sacra-

tarum Deo mentium conſilia haec ſunt. Ita facien-do, teſtimonium perhibebunt de Chriſto. Habenda tamen eſt ſuaſsionis hujus meae ratio ab exemplis divina auctoritate fultis. Verſate deligenter Apoſtolorum actus. Teſtimonium illi doctrinae Chriſti perhibebant, cum ad Eccleſiae miniſteria eligerent *Fratres, Viros ex illis boni teſtimonii*, quemadmodum loquitur Scriptura Sacra, Stephanum, Philippum, Prochorum, alios, Viros quidem, qui ſaeculi blanditias peroſi, per ſummos labores, tenebras errorum diſsipaverunt; quique ſtudio virtutis Chriſtianorum animas incendere curaverunt, puros eorum mores conſervare, pro tradita à Chriſto doctrina decertare: *Depoſitum ſervare*, *Fidem cuſtodire*, caeterarumque virtutum ſilvam colere, quas virtutes modo non exornare, ſed neque recenſere poſſum, in tantas ingenii, orationiſque meae, & breviſsimas temporis anguſtias conjectus. Haec, PP., indubia ſunt teſtimonia de virtute Chriſti. Ad haec perpetranda Divinus amor, Apoſtolorum pectora adurens, eos perpulit, & conduxit. Sed ad cauſam noſtram. Filiorum Franciſci Inſtitutum recenſita Apoſtolorum exempla, tamquam provinciam propriam, jam diu adaptare ſcivit. Quid, quodve aliud Conventus iſte ſignificat? Non gratis facta, non ocioſa profecto cenſenda eſt ſollemnis iſta Patrum ad Generalia Ordinis Comitia convocatio. Hic, Auditores prudentiſsimi, con-

cideritis mecum velim, hic ea gravifsimo ritu, ſanctifsimis cogitationibus, incredibili ardore diſponuntur, quae ad Religionem Chriſtianam conſervandam; ad exagitanda vitia, ad aſſerendam virtutum cauſam, atque ad perhibendum teſtimonium de Chriſto pertinere, prudens quiſque facile putare quiverit. Hic praeparamur ad ea exequenda, quae ſincere conſulta, probe ſancta, & ſalubriter expedita in Dei gloriam cedant. Ad haec iſta Comitia celebrantur. Inſtituuntur modo, quae agenda ſunt a Sociis per Orbem univerſum, videlicet, ea quae derivata à Majorum exemplis, & perpetua eorum imitatione duratura faciant, ut in ore hominum verſetur magna cum exiſtimatione, & laudibus Familia Franciſci. Haec, Auditores ampliſ., haec ſunt, quae modo diſponuntur in poſterum. Sed longo, neque interrupto ſeculorum tractu, Franciſcanus Ordo ſe ſemper pro Chriſti cauſa, Eccleſiaeque ſalute devovit. Neque modo vacat propoſitiones iſtas confirmare moroſa quadam ſuadendi facilitate. Id praetermittere nullo modo poſſum, quod ea, quae exhibuerunt Sodalitii hujus Homines ab exordio naſcentis Ordinis, quaeque Dei gratia facturi ſunt, directa omnia fuerunt, dirigenturque ad teſtimonia de Chriſto candide perhibenda. Bona tamen in luce juvat collocare, quae neque aſſentationis erga Ordinem hunc meum taxanda, neque ob falſitatis ſupicionem recuſan-

da ſint. Revocemus in animum Apoſtolorum exempla: eorum etenim teſtimoniis de Chriſto exhibitis, velim ego conferre apoſtolicam noſtrorum vitam, quanta agi res hujuſmodi prudentia poſsit. In tanto terrenarum, caducarumque rerum fluxu perſeverantiſsime, & ſanctiſsime ab Apoſtolis Eccleſiae ſubventum fuit: pro Religione propaganda terribilia perpeſsi ſunt, & pauperes, & nudi, & abjecti opinione malorum. Quanto cum fervore, quanta cum deligentia, quo niſu, quoque Salvatoris amore ducti Eccleſiae incolumitati ſervierint Apoſtoli, & ſalutis, & vitae diſpendio, etſi eorum acta indicent, nemo etſi eloquentiſsimus facile dicet. Haec tamen ſunt illuſtria monumenta, de quorum imitatione deligentiſsime ſatagunt Parentis Franciſci Alumni. Tenera quadam meditatione contemplemur Ordinem a Franciſco erectum, in ipſis cunis vagientem. Martyres ferventiſsimos inſpicimus, jam tum ſanguine proprio obſignantes teſtimonium, quod de Chriſto perhibebant. Concionatores audimus, ex quorum ore chriſtianae vitae puritas, & ſinceritas excidebat. Viros Sapientiſsimos, juxtaque Sanctiſsimos colimus Antonium, Bonaventuram, caeteros, qui libris doctrinam ſanam commiſſerunt. Adoleſcebat Ordo. Sed cui non eſt perquam notum, & exploratum, quanta ille dignitate proficiebat tum in interpretatione Scripturarum, cum in adhaeren-

do

do Sanctorum Patrum conſenſioni, & in aſſerendis doctrinis, quas Chriſtus edocuit, tradiderunt Apoſtoli, conſervat Eccleſia. Noverunt Franciſci Filii vindicare Legem á perturbatoribus, in quo munere expediendo, jam tum *in figura* Moyſes ſeſe commendavit propterea quod ita teſtimonium Legis perhibuiſſet. Proclamaturi Servatoris documenta, eorum etiam factis expreſſa, quo unquam tempore tot inter labores, & aerumnas retroceſſerunt a Majorum exemplis? Pro promerenda converſione populorum, & pro augendo Chriſti grege diſsitarum terrarum impedimenta, & maris turbulentiſsimos aeſtus fortiter contempſerunt. Ii velut matres ſuaviſsimae amabant confovere altricibus ulnis, quos genuerant in Chriſto. Veſtrum erit, AA., recordari caetera, quae modo referre non poſſum. Memineritis, quaeſo, tot nominis chriſtiani aſſertorum; tot hominum ad tuendas virtutum partes accinctorum, tot voluminum pro bona cauſa conſcriptorum. Sed quo pergo temeritati ad hunc locum accedendi aliam temeritatem additurus, ſi ea numerare diſponam, ad quae plurimarum palmarum Orator non ſufficeret. O certe felicem Ordinem tot laboribus illuſtrem! tot egregiis imitationibus decorum! tot nominibus commendandum! Ne vero longius, quam ego poſsim, protrahatur Oratio, ad finem pergo. In id PP. vos oportet incumbere, ut hac ſanctiſsima

PP.

PP. noſtrorum memoria perculſi eorum veſtigiis inſiſtatis. Horum gratia ex omnibus mundi partibus huc convolaſtis. Date operam ut ſtabiliantur quaecumque ad perhibendum teſtimonium de Chriſto, & ipſi Chriſto conducant: Ut vetus Ordinis doctrina vigeat, qua muniti Populos non fallaciis, ſed veritate evangelica paſcamur: Ut de Ordinis noſtri ſplendore ſolliciti, ſi quid ejus dignitatis diminutum eſt, reficiamus, ac reparemus, & pulcherrimis virtutibus, atque clariſsimis factis exornemus: Ut tandem eum Praeſulem conſtituamus, qui pro decore Ordinis, & noſtri omnium incolumitati invigilet. Sed quales nobis inde fructus? Hi profecto: inter haeredes gloriae ſuae nos Deus ipſe aeternus, & miſericors annumerare dignabitur, quod Calebi exemplo confirmandum eſſe cenſeo. Ut cum Sacro Codice pronuntiem, Calebus accepit haereditatem, quia *teſtificatus eſt in Eccleſia opera Legis.* Ea proinde nobis haereditas etiam modo contingat, quae nos plenitudine gratiarum reficiat. Earum itaque poſſeſsione gaudentibus, inter egregia teſtimonia exhibita pro Chriſti Fide, pro Eccleſia, pro morum cauſa, quod ſummis votis exopto, ſummam omnium admirationem, ac amorem conciliaturum Ordinem noſtrum, ſperare nos poſſe confido.

DIXI.